

*simus, attamen legibus vivimus; ubi non possunt illa verba limitari ad sola testamenta imperfecta, vel similia legata, quorum occasione ibi afferuntur, cum referantur tanquam sæpissime in rescriptis imperatorum repetita. Ita ergo potuit contingere in Ulpiani libro. Item, inde colligo sententiam illam, tanquam universalem, et non limitatam ad certam quandam legem, receptam fuisse, quandoquidem ab imperatoribus sæpissime repetebatur quacumque oblata occasione. Deinde colligo imperatorem intellexisse se esse solutum legibus, non privilegio aut beneficio senatus, sed suo jure, et ex vi supremæ potestatis suæ, et subinde sententiam illam Ulpiani intelligendam esse de supremo principe, qui ex se et sine privilegio solutus legibus esse dicitur, quod in altera parte ejusdem legis significatur, dum dicitur *Augustam, licet legibus soluta non sit, utique ex vi suæ dignitatis, nihilominus beneficio principis esse solutam*. Denique hoc maxime confirmant verba legis *Ex imperfecto*, c. de Testamentis: *licet lex imperii* (id est, dignitas, et suprema potestas) *solemnibus juris impera-**

*torem solvit, nihil tamen tam proprium imperatori est, quam legibus vivere.*

28. Vera ergo est communis interpretatio, quæ leges has intelligit de exemptione principis a vi legum coactiva, a qua non est exempta regina, seu augusta, quia simpliciter est inferior, et potest per principem cogi et puniri; tamen gaudet illo privilegio, beneficio principis propter singularem dignitatem, et conjunctionem cum principe; cum autem in proxime citatis juribus imperatores addunt: *Attamen legibus vivimus*, recognoscunt directivam obligationem legum, et ideo eas se servare profitentur: unde in l. *Ex imperfecto*, ff. de Legat. 3, sic dicitur: *Ex imperfecto testamento legata, vel fideicommissa imperatorem vindicare verecundum est, decet enim tantæ majestati ejus servare leges, quibus ipse solutus esse videtur*. Et ita intellexerunt illam legem non solum D. Thomas et theologi, sed etiam jurisperiti in principio allegati. Supererat hoc loco dicendum de mutatione legis civilis. Sed hoc commodius tractabitur infra lib. 6 generaliter de omni lege humana.

FINIS LIBRI TERTII.



## INDEX CAPITUM LIBRI QUARTI

DE LEGE POSITIVA CANONICA.

- CAP. I. *An sit in Ecclesia spiritualis potestas ad canonicas leges ferendas.*
- CAP. II. *An hæc potestas sit propria legis gratiæ.*
- CAP. III. *Quibus personis data fuerit, et quomodo detur nunc hæc potestas.*
- CAP. IV. *Possitne quivis Episcopus in sua diocesi leges ferre, et quo jure.*
- CAP. V. *Alia dubia in majorem explanationem superioris doctrinæ.*
- CAP. VI. *Quæ communitates ecclesiasticæ habeant potestatem condendi leges.*
- CAP. VII. *Utrum potestas condendi leges ecclesiasticas ex moribus an fidependeat.*
- CAP. VIII. *Utrum potestas ecclesiastica ad leges ferendas sit excellentior civili.*
- CAP. IX. *Utrum potestas ecclesiastica sit ita superior civili, ut illam sibi subjectam habeat.*
- CAP. X. *Utrum potestas ecclesiastica ad leges ferendas possit esse in eadem cum civili.*
- CAP. XI. *An lex canonica habeat propriam materiam.*
- CAP. XII. *Utrum potestas ecclesiastica efficaciam habeat in actus mere internos.*
- CAP. XIII. *Utrum lex canonica possit concomitanter præcipere aut prohibere actus internos.*
- CAP. XIV. *Quæ sit servanda forma in legibus canonicis ferendis.*
- CAP. XV. *Quæ promulgatio in legibus canonicis sufficiat, ut vim obligandi habeat.*
- CAP. XVI. *Utrum lex canonica obliget fideles priusquam ab eis acceptetur.*
- CAP. XVII. *Utrum leges canonicæ obligent in conscientia.*
- CAP. XVIII. *Quando lex ecclesiastica obliget sub mortali culpa.*
- CAP. XIX. *Quas personas obligent ecclesiasticæ leges.*
- CAP. XX. *An leges synodales personas religiosas exemptas obligent.*





## DE LEGE POSITIVA CANONICA

*Modus procedendi in hoc lib. 4.* — Diximus de lege civili in particulari, et quatenus inter Christianos vim suam habere potest; reliquum est ut de canonica lege disseramus. De qua supponimus omnia quæ illi cum civili lege communia esse possunt et in l. 3 tractata sunt, ad quem illa remittimus, quandocumque occurrerint, solumque explicabimus ea quæ legi canonice sunt propria, et in quibus a civili distinguitur. Quoniam vero tota ratio hujus legis, ejusque cognitio maxime pendet ex potestate a qua procedit, ideo prius de ipsa potestate dicemus: tum absolute, tum comparando illam ad potestatem civilem, postea vero de actu, seu lege ipsa, et conditionibus illi propriis disseremus.

## CAPUT I.

## AN SIT IN ECCLESIA SPIRITUALIS POTESTAS AD CANONICAS LEGES FERENDAS.

1. *Pars negativa est error Aerii* — Vetus fuit error negans esse in Ecclesiæ pastoribus hanc potestatem. Potestque tribui Aerio, quatenus dixit jejunia Ecclesiæ non esse servanda, ne sub lege esse videamur, ut sumitur ex Epiphani. hæres. 75, August. in 55. Solet etiam tribui Marsil. Paduan., ut indicat Albert. Pighi, l. 5 de Ecclesiast. hierar. Verumtamen neque Alvarus Pelag. l. 1 de Planctu Eccles., c. 68, neque Castro, neque Prateol. referendo Marsilii errores, hujus meminerunt. Ille enim abstulit quidem fundamentum hujus potestatis, negando potestatem Papæ et Vicarii Christi in terris; negavit etiam habere Episcopos majorem potestatem quam habeant Presbyteri, inde tamen non necessario sequitur, quod negaverit esse in clero potestatem ad leges ferendas. Refert tamen Anton. 4 part. Theol., tit. 11, cap. 7, § 5, extravagantem Joan. 22,

quæ incipit *Dudum ad audientiam*, quæ in corpore juris non habetur, in qua Petrus de Corbaria et alii damnantur propter dictos errores, quibus addebant omnem jurisdictionem, quam quidem Prælati habent majorem quam alii, esse ab imperatore, et nullam habere a Christo, quod est negare ecclesiasticam potestatem ad leges ferendas. Fuit autem Marsilius Paduan. eodem tempore, et fautor illius Petri, qui fuit Antipapa, et ita sine dubio ille fuit principalis auctor illius erroris. Eundem secuti sunt Waldenses, alias dicti Pauperes de Lugduno, quorum meminit Anton. 4 part., tit. 11, cap. 7, § 2, licet hunc errorem non referat: eum tamen refert Prateol. verbo *Pauperes de Lugduno*, n. 8 et 22, ex Ænea. Sylv. de Origin. Bohemor., cap. 33. Idem secuti sunt Wicleph, et Joan. Hus, ut constat ex Concilio Constan., sess. 8 et 15, ubi istorum errores referuntur. Idem postea Luther, quem secuti sunt Melancton, Calvin., Joan. Westphalus et alii, de quibus apud Prateol. et Bellarm. l. 4 de Summ. Pontif. cap. 13.

2. *Fundamenta prædicti erroris.* — Fundamenta hujus erroris partim sumuntur ex his testimoniis Scripturæ, quæ l. 3, cap. 1, adduximus ad suadendum homines, præsertim Christianos, non debere subijci hominibus; nam illa possunt etiam ad Prælatos ecclesiasticos applicari, cum ipsi homines sint: sed ad illa eisdem locis satis responsum est. Præterea hic maxime accumulunt hæretici illa testimonia, quæ sunt de libertate Christiana, ex quibus quæ ad justorum exemptionem a lege pertinent, in l. 1, cap. 16, tractata sunt; alia vero, quæ pertinent ad libertatem legis gratiæ, inferius de illa tractando expenduntur. Illis ergo omissis, possumus in favore hujus erroris argumentari primo, quia in lege veteri non erat licitum addere humana præcepta divinis, quia Dominus fuerat illius populi pro-

prius legislator, ut dicitur Isaïæ 33; ergo neque in nova lege licet. Consequentia supponitur, quia major est dignitas et libertas præsentis status, quam veteris. Antecedens autem probatur, quia Deut., 4 et 12, æque prohibet Deus aliquid addere legi, sicut et minuere; unde Is. 29, conqueritur Deus de Judæis quod colerent ipsum secundum mandata hominum. Et 4 Reg. 21, reprehendit Manassem, quod novas aras in templo Dei sine ejus mandato edidisset. Et similiter 4 Reg. 16, reprehenditur Achaz, quia altare in templo addidit. Secundo, Christus abstulit a sua Ecclesia jugum legis veteris; nam saltem de hac libertate legis gratiæ non est inter Catholicos et novos hæreticos controversia: ergo multo magis abstulit jugum legum ecclesiasticarum; non ergo dedit potestatem ad illas condendas. Probatur prima consequentia, quia onus tot legum canonicarum non minus repugnat libertati christianæ, nec minus onerosum reddit jugum Christi, quod ipse suave esse dixit, quam id faceret onus veteris legis: unde August., Epist. 219, dicit voluisse Christum religionem *quam paucissimis sacramentis esse liberam*, et subdit *hanc libertatem premi humanis observantiis*, etc., quæ ibi videri possunt. Tertio, possumus argumentari, quia vel hæc potestas dirigat homines ad naturalem finem, vel ad supernaturalem: ad primum necessaria non est, sufficit enim potestas politica: ad secundum autem impossibilis est, excedit enim humanam capacitatem, quia nemo potest efficaciter movere hominem ad finem supernaturalem, nisi solus Deus: ergo nec leges condere quæ ad illum finem perducant; nam ejusdem est ferre leges ordinatas ad aliquem finem, cujus est efficaciter movere in eundem finem.

3. *Prima conclusio.* — Dicendum vero est primo esse in Ecclesia peculiarem potestatem ad regendam et gubernandam illam. Hæc assertio est de fide, quæ probatur præcipue ex verbis Christi dictis Petro Matth. 16: *Tibi dabo claves, et quodcumque ligaveris*, etc., et Joan. 21: *Pasce oves meas*, quæ verba inferius latius expendemus. Deinde probatur ex verbis quæ generatim dixit Apostolis Luc. 10: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit*: quæ verba non solum quantum ad doctrinam, sed etiam quantum ad præcepta intelligenda esse, præter expositores ibi, declaravit optime Cyprian., ep. 69, et Basil. in Constit. Monast., c. 22 et 23, et sumitur ex aliis verbis ejusdem Christi Joan. 20: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos*: missus est autem Christus

non solum ut doctor, sed etiam ut legislator et gubernator, juxta illud Ps. 2: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, reges eos in virga ferrea*, et latius in lib. 10 videbimus: ergo etiam misit suos Apostolos cum sufficienti participatione illius potestatis. Regnum enim et regimen Christi in Ecclesia militante non erat finiendum cum vita mortali ejus, aut cum præsentia visibili et corporali in terris, sed perpetuo erat duraturum, juxta illud: *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, et regnabit in æternum*, Luc. 1: ergo necessarium fuit ut relinqueret in terris potestatem vicem ejus tenentem, per quam hoc regimen spirituale perpetuo duraret.

4. Secundo, principaliter hoc probatur ex usu hujus potestatis. Nam primus actus hujus potestatis qui in Scriptura legitur, videtur fuisse decretum Apostolicum Actor. 15: *Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis*. Ubi duo continentur humana præcepta canonica, unum imponens illud onus ut necessarium, quæ duo verba clare indicant prohibitionem sub præcepto; aliud vero fuit, vel declarativum, vel constitutivum, ut ex tunc nihil aliud cæremoniale legis Moysi observaretur ut necessarium onus: et in fine capituli dicitur de Paulo: *Perambulabat præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum*. Fuerunt ergo illa vera præcepta humana, de quibus plura dicemus infra tractando de cessatione legalium; unde constabit illud prius non obligasse ex propria prohibitione Christi: fuit ergo pro illo tempore mandatum apostolicum. Deinde Paulus in suis epistolis sæpe commemorat potestatem, quam ait *sibi dedisse Dominum in edificationem, non in destructionem*, 2 ad Corinth. 13; et 1 ad Corinth. 4 interrogat: *Vultis ut in virga veniam ad vos? Virga autem significat potestatem gubernativam, quæ, quatenus directiva est, dicitur virga directionis*, Psalm. 44; quatenus vero est coactiva, dicitur *virga ferrea*, Psalm. 2 ex August. exponente utrumque locum. Nam in priori ait: *Directionis virga est, quæ dirigit homines*, et infra: *Accede ad istam virgam, sit tibi rex Christus, regat te ipsa virga, ne frangat te. Virga enim est illa inflexibilis*. Et in posteriori loco exposuerat *virgam ferream esse inflexibilem justitiam*. Unde in priori addit: *Alios regit, alios conterit, regit spirituales, conterit carnales*. Talis ergo erat virga Pauli a Christo participata; unde statim cap. 5 virga illa ut ferrea utens, ait: *Jam judicavi*